

attributus sit, ejus rei octo assignat rationes *Ambros. Schürer. de her. ab intest. tit. 8. ubi vide.*

XXII.

Historia juris in succ. descend.

Ad descendantium nunc successionem antequam nos demittamus, Juris antiqui historiam, levi saltem, ut dicitur, brachio, hinc perstringere visum fuit, ubi quatuor diversa jura inveniebantur, quæ explicat *Jason in l. qui se patris 3. C. unde lib. nu. 22.* Lex enim XII. tab. ita cavit: *Intestatorum hereditates primo SUORUM heredum, velint nolintve sunt; his deficientibus AGNATUS proximus familiam habeto*, quod colligi potest ex *lib. 2. Inst. Caii. tit. 8. & fragm. Ulp. tit. 26.* quodque confirmat *Coras. ad l. filium quem C. famil. erciscund. n. 3.*

XXIII.

Suus heres quis.

SUOS, inquam, primò vocabat. SUUS putabatur, de quo tria hæc verè enunciari poterant: I. Eum ex numero esse liberorum, sive NATURA, sive LEGE §. 2. *Inst. de her. quæ ab intest. def. l. pen. in fin. C. de adopt. Angel. de Periglis in tr. de suitat. q. 4. n. 6.* II. potestate defuncti extitisse mortis tempore §. sui 2. *Inst. de her. quat. & diff. quod tamen fallit in posthumo, in patricio §. filiusfamil. Inst. quib. mod. I.P.P. sol. & secundum quosdam in Monacho, vide Forster. lib. 2. succ. cap. 18.* III. In gradu neminem eo proximiorum esse *l. posthumorum 13. ff. de injust. rupt.* Plura, de Materia suitatis scire si lubet, evolve *d. Angel. de Periglis in tr. suit. & conjunge Vacon. à Vacun. 3. lib. declarat. 50. Donell. 7. com. c. 2.*

XXIV.

Ex secundo Jure prodiere SCta, Tertullianum & Orfitianum, de quibus *sub eadem rubr. in ff. C. & Inst. habetur.* Tertium Jus Prætores introduxerunt, ut agnatis deficientibus succederent cognati *l. 1. in pr. ff. und. cogn. non fiscus ut antea, quod Jason notat ad d. l. fin. C. und. lib. nu. 22. motus per l. fin. ff. de success. edict. idemque videtur colligi posse ex §. si plures 5. junct. §. placebat 7. Inst. de legit. agn. succ.*

XXV.

Quartum & ultimum, est Jus Authenticarum, quo nunc utimur.